

JOSEPHI LOMBERG

MAJORIS ARCHIDIACONALIS ECCLESIAE BONNENSIS  
CANONICI CAPITULARIS,

in hac alma Electorali Maximilianæ Academia Bonnenfi Juris Gentium ac publici  
Ruo-germanici, nec non Historiarum Professoris publ. ord.

DISSERTATIO PUBLICA

DE

PROLEGOMENIS  
JURIS PUBLICI VNIVERSALIS

ET

PARTICULARIS ROMANO-GERMANICI,  
RECENTIORI METHODO ACADEMICA

SYSTEMATICE, COMBINANDI.

QUAM

vnâ cum Parergis selectioribus

IN

*Aulâ Majori Academica*

SUB

PRÆSIDIO AUTHORIS

PUBLICÈ PROPUGNANDAM SUSCEPIT

*Prænobilis ac perquam Eruditus Dominus*

PETRUS JOSEPHUS BREWER Bonnenfis

Jurium Auditor.

*Anno MDCCLXXVII. Die XIII. Martii.*

Horis consuetis.



BONNÆ, in Typographia Academico-Aulica.

*Liss. jur. 24*

Diss. jur. 24  
28e

2  
REVERENDISSIMIS.  
SERENISSIMIS. CELSISSIMIS.  
EXCELLENTISSIMIS. ILLUSTRISSIMIS.  
AC. PERILLUSTRIBUS.  
SACRÆ. METROPOLITANÆ  
ELECTORALIS. ECCLESIAE. COLONIENSIS.  
CARDINALIBUS.

PRÆLATIS. ET. ARCHICAPITULARIBUS.  
PRIMARIIS. REIPUBLICÆ. STATIBUS.  
INCLYTÆ. GENTIS. COLONIENSIIUM.  
PRIMORIBUS. DYNASTIS. ELECTORIBUS.  
PERPETUIS. PATRIÆ. PROTECTORIBUS.

DOMINIS. DOMINIS. NOSTRIS.  
GRATIOSISSIMIS.

1371 404 01

REVERENDISSIMI  
SERENISSIMI CELSISSIMI  
EXCELLENTISSIMI ILLUSTRISSIMI  
AC PERILLUSTRES  
DOMINI PRÆLATI ET ARCHICAPITULARES!

*Domini, Domini gratiosissimi!*

*A*usu Electoralis Academia Bonnensis, ne sero vincatur officio, sacratis VESTRIS tandem quoque se sistere Atriis, PROCERES INCLUTISSIMI! ad Grates debitas easque immortales memori mente persolvendas pro eo, quod medio vix Lustro natam, tot jam Studiis atque Favoribus VESTRIS ornatissimam, hæcenus hæud fueritis de- dignati.


Liceat Jurisprudentiæ publicæ solennem hæc ex parte cæterarum CATHEDRARUM Observantiæ Legationem obeunti, Credentialium loco, Testem exhibere vel ipsam majorem academicam Gymnasii Electoralis Aulam, generosiori Vestro Adplausu vel hodie adhuc triumphantem, quam velut majora Gentis nostræ Luminaria, spectatissimo Confessu Vestro toties tam splendidè illustrastis, eminenti Præsentia Vestra indulgentissimè coluistis. Dignemini MÆCENATES AUGUSTI! blando intuitu adolescentulas Patriæ Musas, VESTRIS hisce Meritis æternum devinctas, quæ exsules velut Orphanæ generosis tandem manibus Vestris suum debent STATOREM EMINENTISSIMUM, munificentissimum INSTAURATOREM, Fulcite, tanquàm immobiles Gentis Columnæ, potenti Patrocinio, tot neo-fundatas Artium liberalium Cathedras, REIPUBLICÆ ac POSTERITATI sacras!

*Estote*

*Estote PRIMORES POPULI! fide VOBIS intemeratâ nunquàm soluti,  
in quem tanta sunt Vestra non dico Officia, sed Merita, quantus in  
Urbe & Orbe eminent MAXIMILIANUS noster EMINENTISSIMUS, quem  
Principem Optimum Maximum benedictæ Cælitus Electioni Vestræ,  
Vestroque sacro Gremio nos omnes debere, gratâ mente nunquàm  
non recordabimur. HUNC DEUS PATRIÆ PATREM & amabile  
Civitatis CAPUT unâ cum Vobis Eiusdem Membris atque Electo-  
ribus, diutissimè servet incolumem. Valetè COLONIENSIVM DELICIE!  
& favete*

REVERENDISSIMARUM  
SERENISSIMARUM CELSISSIMARUM  
EXCELLENTISSIMARUM ILLUSTRISSIMARUM  
AC PERILLUSTRIVM  
DIGNITATVM VESTRARVM


*devotissimis obsequiosissimis Servis*  
PRÆSIDI ET DEFENDENTI,



# DISSERTATIO PUBLICA

## DE PROLEGOMENIS

*Juris Gentium, eum publici universalis, & particularis Romano-germanici, recentiori Methodo academicâ sistematicè combinandi.*



### PROSPECTUS.

*Prolegomenon*, Vox græca, idem denotat ac *Præloquium*, quale cuique *Operi* ac *Scientiæ* ad faciliorem ejus notitiam, *Incipientibus* disertè prælibandam, veluti *Monogramma*, jam olim ab *Authoribus* omnium *Ordinum* eruditissimis præfigi adfuevit: Vnde & hic de ipsis utriusque *Juris publici* cum *universalis* eum *Gentium*, tum *particularis*, eum nostri in specie *Romano-germanici*, novo tanquam *Sistematè Academicò* combinandi, agendum est *Prolegomenis*, scilicet ad faciliorem gravissimæ hujus *Scientiæ* Captum, *Auditoribus* nostris hæc quidem ratione prælibandum, ut vastissimum univèrsi *Juris publici* Campum vno velut intuitu valeant perlustrare;

Nostrorum itaque *Prolegomenorum* hic esto principale *Objectum*: ipsa *Juris publici* indoles & natura: Origo ejus atque *Institutio*: *Divisio*, *Materia*, *Forma*, *Mutatio*, ejusdemque cum genericæ tum specificæ *Proprietates* reliquæ, hæc præcipuò pertinentes, ac vel magis ad ipsam *Instituti nostri* rationem facientes. Quapropter in *Capitibus* quatuor subsequenter ex *Ordine* tractabimus I. de *Jure Gentium* eum *publico universalis*: II. de *Jure publico particulari* generatim considerato: III. de *Jure publico in specie Romano-germanico*: IV. de nostrâ demùm *recentiori Academicâ ejusdem tradendi Methodo*, qualem *Annis* duobus jam proximè elapsis, in nostro *Institutionum publicarum* *Compendio*, octo *Exercitationibus* absoluto, felici *Succellu* fuimus exsecuti. Atque hæc præcipuò tota præfens collimat *Dissertatio publica*.

CAPUT

## CAPUT PRIMUM

DE

*Jure Gentium, ceù publico univèrsali.*

§phus I.

De diversis *Juris* Acceptationibus.

Vocabulum *Jus*, in genere spectatum, præsertim sub quatuor diversis venit Acceptationibus: I. pro Complexu certarum Legum, id est: pro Normâ actionum humanarum: sic *Jus civile* est complexus Legum civilium, ceù Norma actionum civilium. *Jus ecclesiasticum* est Complexus Legum ecclesiasticarum, ceù Norma actionum Statui Ecclesiæ convenientium. &c. II. Accipitur *juris* nomen pro certa facultate morali, ex hoc Legum complexu, ex his scilicet actionum humanarum Regulis resultante, ejus vigore certum quendam actum justè ponimus, vel tutò omittimus: sic *jus venandi*, quod alicui competit, aut *jus hereditatem petendi*, hæud sumitur pro ipsâ Lege, quæ intuitu horum actuum lata est; sed pro facultate quâdam morali, ex his Legibus resultante, vi cujus ille, cui tale jus competit, justè exercere potest venationem, aut petere hereditatem, ac vel etiã huic juri quæsito liberè valet renuntiare: item *Lex naturæ* præcipit neminem lædere, unde resultat *Jus*, ceù *facultas moralis*, contra injurias quasque Invasiones se omni meliori modo defendendi. III. To *Jus* denotat Imperium, quale Deo in Creaturas, Principi in Subditos, Parentibus in Filios, Dominis in Servos competit. IV. Denique vocabulum *juris* spectari potest pro certo Sistemate plurium Legum ac Regularum in vnum Corpus congestarum; sic dicitur *Jus ecclesiasticum Bôbmeri*: *Jus publicum Pütteri*: *Jus civile Strykii*: *Jus saxonicum forense Carpzovii*. &c.

Postrennis hisce *Juris* acceptationibus remissis, hic unicè spectandum est *Jus*, proût hoc vocabulum in primâ suâ significatione accipitur, videlicet pro ipso certarum Legum Complexu, ceù Normâ actionum humanarum: quatenus de hoc *Jure* hic nobis est sermo, & quidem in specie de *Jure publico* planè generaliter spectato.

§phus II.

De variis *Juris* Divisionibus.

Præter varias *Juris* acceptationes, variæ extant *Juris* Divisiones. sic *Jus civile* dividitur in Institutiones, Digesta, ceù Pandectas, Codicem & Novellas. Sic ab ipsa Legislatorum Diversitate, innotuit Differentia inter *Jus divinum* atque humanum. Porrò à Modo innotescendi, *Jus* dividitur in naturale & positivum, quatenus hoc vel Scripturâ, vel vivâ Voce nobis promulgatur, illud

illud solummodò per rectam Rationem nobis innotescit. Denique à *Objecto* proficiscitur *Juris* Divisio in ecclesiasticum, publicum, & civile, prout nempè ejusmodi *Jus* vel circà ecclesiastica, aut publica, ac vel civilia Negotia versatur. Interea hic nobis præ primis spectanda venit Divisio *Juris* in *privatum* ac *publicum*: ubi præsertim attendendum est, *Jus publicum* nullatenus ità vocari, quod à *publicâ*, *privatum* verò quod à *privatâ Auctoritate* proficiscatur, quippe omne *Jus privatum* æquè ac *publicum* à *Auctoritate publicâ* promanat, sed idò, quod *Jus civile* ceterum *privatum* primariò ac principaliter concernet causas atque negotia *privatorum Civium*, *Jus publicum* verò circà *Statum publicum*, ceterum Jura, officia, atque negotia *integrarum Gentium* & *Rerumpublicarum*, summorumque *Imperantium*, primariò ac directè versetur.

### §phus III.

#### De *Jure Gentium absoluto*, à *Jure naturæ* indistincto.

*Jus publicum*, de quo hic ex *Professo* tractamus, vel est *universale* ceterum *Gentium*, vel *particulare*, sive *Gallicum*, sive *Anglicanum*, sive nostrum *Romano-germanicum*, sive quaecunque aliud aliterius in specie *Regni* ceterum *Reipublicæ*.

*Jus publicum universale* est, quod vni non tantum vel alteri *Reipublicæ* aut *Civitati*, sed omnibus *Gentibus* universaliter à *Deo* præscriptum est, ac per rectam Rationem publicatum, quare etiàm *Jus Gentium* vocatur. Hujusmodi *Jus* est: fidem datam, ceterum *Pœdera* atque *Pacta* esse servanda: Bellum sine justâ causâ non esse indicendum: &c. Tale enim *Jus*, *Gentiles* æquè ac ipsos sine exceptione summos *Imperantes* naturaliter obligat. Ex quo sequitur, *Jus publicum universale*, ceterum *Jus Gentium* absolutè spectatum, nihil esse aliud, quàm ipsum *Jus naturæ*, vitæ hominis sociali, & publicis *Communitatum* negotiis, atque *integrarum Gentium* juribus adplicatum: vnde KOEHLERUS *Jus Gentium* rectè vocat: *Jus naturale Societatum*.

Ipsam itaque *Juris* Divisionem, quâ in *privatum* & *publicum* dispescitur, etiàm *Juri naturæ* cum fundamento adplicandam esse, strenuè contendimus: quippe *Jus naturæ* non privatas modò hominum actiones dirigit, sed Jura quoque atque officia in *Societate civili* *Viventium* definit; immò verò latius adhuc patet *Juris naturæ* *Vsus* atque *Auctoritas*: ex ipsâ namque *hominis naturâ* oriundum, omnes omninò homines obligat: ex quo itaque in varias hi coierunt *Societates civiles*, ipse *Juris naturæ* effectus non in singulos tantum homines, verùm in *integras quoque Respublicas* protenditur: hinc præter *Jus naturæ*, quod singulorum hominum actiones dirigit, atque in specie *tale* dici

potest, in *privatum* & *publicum* dividendum, occurrit quoque *Jus Gentium*, sive Complexus *Legum naturalium*, quæ actiones integrarum *Gentium* ordi-  
nant: quod tamen ab ipso *Jure naturæ*, quò ad *Principia*, alienum esse,  
constanter negamus: siquidem in eo tantùm occupatur, ut *Juris naturæ Leges*  
ad Statum integrarum *Gentium* adcommo- det, Jura earum atque officia inter  
se definiens: quàmvis quò ad *Conclusiones*, Differentias non nullas intercedere  
posse, haud abnuerimus.

Differt tamen quàm maximè à *Jure*, per *Paçta* & *mores*, ceù *Gentium*  
Consuetudines introducto, id quod inde non tam *Jus Gentium universale*,  
quàm potius *paçtitium*, haud inconcinnè dici potest. Sive ergò homines  
singulos seorsim, sive in certas *Societates* minores aut majores collectos con-  
sideramus, eadem semper manent Præcepta, eadem *Leges*: vnde *Jus naturæ*  
ab ipso *Jure Gentium* ceù *publico universali* (quatenus obligat *per modum*  
*Legis*) nec Principio cognoscendi, nec ipsis *Regulis*, sed solo *Objecto* discer-  
nitur, proût versatur vel circà actiones *singulorum hominum*, vel integrarum  
*Gentium* ceù *Rerumpublicarum*: vnde sicuti *Jus naturale privatum* hone-  
statem respicit ac turpitudinem primariò propter privatam cujusque hominis  
beatitudinem, ità *Jus naturale publicum*, ceù *Gentium universale*, eundem  
æquè finem respicere sustinemus, primariò propter communem omnium *Genti-  
um* felicitatem, ceù necessitatem atque vtilitatem publicam. Quemadmodum  
porrò *Jus* illud, quod NUMEN sapientissimum *Naturæ* humanæ indidit, in-  
scripsit, atque inculcavit, quùm ab eo tanquàm *Auctore naturæ* procedat,  
necessariò cum ipsa conjunctum esse debeat *Naturâ*, ab eâque prorsus insepa-  
rabile, ut stante hac *Naturâ*, nulli obnoxium sit mutationi, ità quoque *Jus*  
*Gentium*, quò ad *Leges naturales absolutas* atque *connatas* sub eodem com-  
prehensas, omnem respuit *Mutabilitatem*, nec ullam admittit *Dispensatio-  
nem*, ut adeò neminem adversus æternam hujusmodi *Legem*, quidquam Im-  
perii adrogare sibi posse, per se pateat.

#### §phus IV.

#### De *Jure Gentium* hypothetico, atque *paçtitio*.

Aliud dicendum est de *Jure Gentium* quò ad *Leges naturales hypotheticas*,  
quas insimul complectitur, quæ non tam ex ipsâ *Naturâ*, quàm solum-  
modò ex *Ordine naturæ* proficiscuntur, & consequenter non tam *obligatio-  
nem connatam*, quàm mèrè *adventitiam* produ- cunt, ex *præcedente* scilicet  
*facto humano* resultantem. Denique ex jam dictis adparet, *Jus Gentium*  
*paçtitium* velut *arbitrarium* cautè separandum esse ab ipso *Jure naturali*  
*publico*, quod vtrumque, in *sensu latiori*, vnum quidem idemque totum

con-



constituit *Jus Gentium*, sed diversos pro diverso respectu producit effectus facillimè confundendos, id quod hucusque non rarò contigisse dolenter referimus: sic non nulli ex hoc vno Absurdo: *Jus Gentium* tanquàm à *Jure naturæ* omninò distinctum, cum eodem nihil habere commune, hoc alterum collegerunt Absurdissimum: *Imperia* liberæque *Respublicas* à obligatione *Juris naturalis* esse exemptas: vnde ambo pestilentissimi pseudo-Politici *Hobbesius* & *Machiavellus*, omnia per fas & nefas iusta prædicant *Imperantibus*, modò iisdem blandiri, ac vel eorum sibi gratiam, infandum adedò in modum valeant comparare. Quàpropter execrandum meritò est illud *Cæsaris* ap. *Cic.* de off. l. 3. C. 21. "si violandum est *Jus*, regnandi gratià violandum est, aliis rebus pietatem colas." *Adventatorum* hoc vile Pecus, hanc nostram *Jurisprudentiæ publicæ* Doctrinam, atque cum eà integrum ferè *Terrarum Orbem*, falsis suis atque ex ipso *Inferno* depromtis *Principiis*, quasi exitiosà *Peste* infectarunt.

#### §phus V.

De *Jure publico universali*, à *Jure Gentium* indistincto.

Sunt inter *Doctores*, qui Differentiam ponunt *Jus Gentium* inter ac *Jus publicum universale*, quatenùs hoc contineat mutua *Imperantium* & *Subditorum* Jura atque officia, illud verò præcisè doceat Jura & officia *Gentium* atque *Imperantium* inter se invicem: ast nec in priori neque in sensu posteriori habetur aliquod *Totum*, quatenùs juxtà hanc sententiam, *Jus publicum universale* doceret tantùm *jura immanentia*, *Jus Gentium* verò non nisi *jura transseuntia* pertractaret: quæ *utraque* tamen *Jura* vnum totum necessariò constituunt *Jus publicum universaliter spectatum*.

Sive ergò dicatur *Jus Gentium*, sive *publicum universale*, idem est atque indistinctum in sensu saniori, quo satius verum atque integrum intelligitur *Jus publicum universale*, eè *Jus Gentium* numeris omnibus absolutum.

Ipsium igitur *Jus Gentium* æquè ac *Jus publicum universale* tanquàm vnum à altero indistinctum sub vnà eademque venit Definitione: quod sit Complexus Legum à *Æquitate naturali*, & rectà ratione provenientes, ad Statum cujusque Civitatis aut *Reipublicæ*, ejusque Felicitatem eè *Gubernationem* & *Conservationem* principaliter ac per se pertinentium: ex quà Definitione adparet, per *Jus Gentium* eè *publicum universale* nos hic intelligere *Normam* actionum humanarum, cuique omnium *Gentium Statui publico* convenientium: vnde resultat Definitio *Jurisprudentiæ publicæ* generaliter spectatæ, quæ est habitus præcticus Leges publicas universaliter positas, resque iis connexas rectè intelligendi, & applicandi ad Casus speciales *Reipublicam* concernentes, ut adpareat, quid justum in iis sit atque injustum.

§phus VI.

De vniversalibus *Juris Gentium* Principiis.

*Jus Gentium* igitur continet *generalia Principia* tam de juribus *Principum* & *Gentiumque* ergà se invicem, quàm de Officiis *Imperantium* & *Subditorum* mutuis. *Principia autem generalia* ceù *vniversalia* dicimus illa, quæ omnibus sine exceptione *Rebuspublicis* sunt communia, quatenùs cujusque *Regiminis Formæ* sive *Monarchicæ*, sive *Democraticæ*, sive *Aristocraticæ*, aut etiàm *mixtæ* sunt adplicabilia, quibus tanquàm *fundamento* omne *Jus publicum particulare* innititur; talia *e. c. Principia* sunt: *Pacta sanctè servanda*: *nemo lædendus*: *Superiori à Subditis parendum*: *Subditis à Superioribus Justitia ritè administranda*: &c. Quorsùm etiàm spectat *Potestas legislativa Principum*, item: *Imperantium Jus indicendi Collectas*, &c. quæ omnibus & singulis *Civitatibus* propria & communia, adeòque *generalia Juris publici Principia* dicuntur.

Alio etiàm nomine hæc eadem *Principia* adpellantur: *Doctrina civilis*, non quasi descenderent ex *Jure civili*, sed quatenùs omnibus *Civitatibus* vniversaliter conveniunt: vnde & hoc sensu *Doctrina civilis* dici potest illa *Scientia*, quæ docet, quid in quavis *Civitate* justum sit atque injustum. Hæc verò *Principia* aut *Legibus Imperantium*, aut *Pactis & Conventionibus*, diversimodè apud singulos *Populos* determinantur: sic vniversale quoddam *Juris publici Principium* est: quod ad ventilandas in *Civitate* res controversas ac publicè decidendas, *Judicia publica*, summaque *Tribunalia* ritè sint constituenda: quod verò in *Judicio Imperiali aulico* res controversæ definiantur per *Consiliarios* à solo *Imperatore* constitutos, in *Camerali* contrà, per *Adseffores* à singulis *Imperii Statibus* præsentatos, hæc est *Constitutio Juris publici particularis ex Vniversalis* deducta, *Pactis* atque *Conventionibus* ità speciatim determinata.

Vbi tamen observandum est, non nullas ejusmodi *Conclusiones* particulares in *Jure publico*, nullatenùs ex *Principio vniversalis Juris nature* deduci posse, utpote quæ merè sunt positivæ, & ob peculiarem *Reipublicæ* Statum peculiariter statutæ: sic paradoxum in *Pace Westphalicâ* constitutum est, quod si *Princeps Catholicus* evidenter videat, *Oves* suas per *Pastores protestantes* seduci, si tamen illius *Ovilis* in anno decretorio *Pastor* fuerit *augustanæ Confessionis*, Princeps uttè *Catholicus* talem debet præficere: scilicet paradoxus tunc fuit *Imperii Status*, quid mirum, si *Paradoxæ* permitti debuerint, atque adeò *Lege* sanciri?

## CAPUT SECUNDUM

DE

*Jure publico particulari generatim considerato.*

### §phus I.

De propriâ *Juris publici particularis* indole.

*Jus publicum particulare*, vni tantum alterive *Civitati* proprium nil aliud est quam ipsum *Jus publicum universale*, per *Leges* & *Pacta* ad formam & statum certæ alicujus *Reipublicæ* determinatum. Oritur itaque *Jus publicum particulare* ex *Legibus* & *Pactis*, ad Statum certæ cujusdam *Civitatis* publicum, primariò & directè spectantibus. Huc verò non solùm pertinent *Pacta* cum proprio *Imperante*, sed etiàm cum *Exteris* inita, modò ipsam *Reipublicæ formam* adficient: sic *Instrumentum Pacis Westphalicæ* inter *Ferdinandum III.* Imp. & *Status Imperii* ex vna, & *Suecorum Reginam* ex altera parte, item inter eundem Imp. atque *Regem Gallie* a. 1648. initum, utique facit ad *Juris publici Romano-germanici* Institutionem: sicuti enim hujusmodi *Pactis Respublica* alteratur, ità etiàm *Jus publicum* alteratum inde resultat.

Huc porrò non ineptum spectat *Politices Brocardicum*: quo plures sunt *Leges publicæ*, eò major in *Republica* viget *Libertas*: quo extant pauciores, eò magis *Libertas* est coarctata: id quod primâ fronte Consideranti, adeò expeditum hæud videbitur, sed penitùs Inspicienti patebit: vbi videlicet nullæ sunt *Leges publicæ*, ibi omnia à nutu atque arbitrio summi *Imperantis* dependent, quod si plures extant *Leges publicæ* ac *fundamentales*, ibi arbitria *Imperantium* sunt restricta, quatenus hi *Legibus* hisce tanquàm *Pactis* Ipsos inter & eorum *Subditos* initis æquè sunt obnoxii: vnde fluit illud: *Respublicæ immunes Legum, Principatus immunes Regum.*

### §phus II.

De diversâ *Juris publici particularis* Origine atque obligandi ratione.

Pro diverso *Rerumpublicarum* Ortu, diversâque *Formâ*, diversa quoque est cujusque *Juris publici particularis* origo, atque obligandi ratio: quare si quæstio hæc est: quænam sit hujus in specie vel illius *Juris publici particularis* Origo, & quænam obligandi ratio? R. Quæstio hæc est vel de tali *Jure publico particulari primitivo*, & hoc ortum suum habet cum ipso Ortu *Reipublicæ*: sic *Jus publicum particulare Hollandiæ primitivum* repetendum est à *Confœderatione septem Provinciarum Belgicarum*: quod si quæritur de quodam *Jure publico particulari moderno*, tunc præcipuò ad ipsam *Reipublicæ* mutationem debemus attendere: sic in *Dania* centum ab hinc annis summum

Im.

*Imperium* necdum fuit penes solum *Regem*, hinc *Jus publicum particulare Daniæ modernum* repetendum est ab illa *Lege publicâ*, quæ summa Potestas soli *Regi* primùm fuit destinata, à Mutatione scilicet in isto *Regno* a. 1666. factâ. Pariformiter respondendum est ad alteram Quæstionis partem, videlicet, quænam sit *Juris publici particularis* obligandi ratio? vel enim *Reipublicæ forma* est simpliciter *Monarchica*? & tunc *Jus publicum* obligat in vim *Legis*, quatenus in *Statu Monarchico* summum Imperium est penes unum solum *Legislatorem*: si forma Regiminis sit *Democratica* cæu *Popularis*, omnes collectivè sumtos obligat in vim *Pacti*, singulos autem in vim *Legis*, quatenus in *Statu Democratico* ipsi *Cives* diverso respectu sunt *Imperantes & Subditi*: Quodsi Forma sit *Aristocratica* aut etiàm *mixta*, plerùmque obligat in vim *Pacti*, ac vel partim in vim *Legis*, id quod Consideranti obscurum non erit. De variis variarum Gentium *Juribus publicis particularibus* vide *Vitriar.* in Proëm. §. 5. sqq. & *Mauritii* Diss. de Principiis Jur. publ. C. 2. §. 2. sqq.

### §phus III.

#### De Differentiâ *Jurisprudentiæ publicæ* à *Politica* strictè & latius consideratâ.

Vti verò *Jus Gentium* cæu *publicum universale*, ita & *particulare* suâ scilicet *Jurisprudentiâ publicâ*, quæ duo involvit: *Cognitionem* videlicet *Legum publicarum*, & *Habitus* easdem ad *Status publici* negotia dextrè applicandi: hic sine illâ mancus est, prior sine posteriori inutilis. Differt autem *Jurisprudentia publica* à *Politica* strictè spectatâ, quod hæc ostendat, quid utile sit *Reipublicæ*, non verò quid justum. Differt etiàm à *Politica* latè sumtâ, quæ est habitus regendæ cujuslibet Civitatis: unde & ipsa *Juris publici Instituta* comprehendit, quin tamen in his solis consistat, sed latius patet, ita ut *Jurisprudentia publica* à *Politica* latè consideratâ differat ut pars à toto: siquidem *Politica latè sumta* est habitus rectè, & non tantùm *utiliter*, sed etiàm *justè* gubernandi *Rempublicam*. Verus itaque *Politicus* is propriè dicendus, qui instructus est perfectâ atque consummatâ *Rempublicam* constituendi regendique Prudentiâ, secundùm *Juris & publicæ Utilitatis Regulas*. Quocum igitur vile istud *pseudo-Politicorum* pecus non est confundendum, quod vivis coloribus depingit celeb. *Bæclerus* in Com. ad Nep. p. 58. "Hi sunt hodiè, qui se *POLITICOS* vocant, homines sine bona mente, & ad exemplum *CALLICRATIS*, sine Religione vllâ ac fide, callidi & ad fraudem acuti: nihil illis nefas, quod questum, nihil infame, quod Commoditatem aliquam promittit, Cælum, Jura, Leges, Iædèra, divina humanaque Omnia, nec sancta nisi ex *Usu*,  
nec

*nec timenda, nisi per simulacrum: contra, Incestus, Parricidia, Injurie, Cedes, inter ARTES & SPECIOSA NOMINA, aut SAORA tuendi Statûs jactantur.* Hisce igitur *Regiæ Politicæ Scientiæ* Propudiis mentò detrahitur Larva à cordatis Viris, ne sub eminento nomine in Odium atque Invidiam genuinæ *Politice* imponant simplicioribus, Stragesque tacitas artificiosè inferant *Rebus publicis*, quarum meritò *Flagella* exsecrantur. Vide Sam. Puffendorff Diss. de Concordia veræ *Politice* cum Religione christianâ. Lond. Scanav. 1675.— magni *Hesentbuleri* Athleta politicus. Decas V. Quæst. I.

Conf. Jo. Frid. *Hornius*. de Constit. *Politice*, in ejusd. *Architectonica* de Civit. C. I. Wolffg. *Heideri* *Philosophiæ politicæ Sistema*. *Fenæ* 1728. Quomodò *Politica* differat à *Ratione Statûs* (*raison d'état*) vide Lud. *Septalium* de *Ratione Status*. *Hamb.* 1659.

#### §phus IV.

#### De Notitiâ *Reipublicæ*, ceû absolutissimo *Jurisprudentiæ publicæ* & *Politice* Compendio.

Eadem ratione, sicuti pars à toto, *Jurisprudentia publica* differt à *Notitia Reipublicæ*, quæ illam insimul complectitur: ut enim quis noscere valeat *Rempublicam*, debet ante omnia *Leges publicas*, earumque *Vim* ac *Potestatem* scire: hinc præter *Scientiam Legum publicarum* etiâ ad *Notitiam Reipublicæ* requiritur *Historia* & quidem *critico-diplomatico-pragmatica*, sine quâ *Natales*, *Progressus*, *Mutationes*, *Fata* atque *Facta Reipublicæ* satis evidenter nequeunt intelligi. Porro requiritur *Genealogia Imperatorum & Principum*, ejusdemque *Civitatis Familiarum magis illustrium*: item *Geographia*, ut sciantur *Limites* ac *Reipublicæ Termini*, & quid *Juris* competat in has vel illas *Provincias* à *Republicâ* successu temporis avulsas. Immò *Reipublicæ Notitia* ipsam quoque involvit *Politica*: oportet enim nosse *Hostes* & *Amicos Reipublicæ*, *Copiam* & *Inopiam*, *vires* & *facultates*. Vnde patet, *Notitiam Reipublicæ* latius patere *Jurisprudentiâ publicâ* atque *Politica*, & utramque ut partem à toto ab illâ differre. Quâvis verò *Jurisprudentia publica* adeò differat à *Politica* atque *Notitiâ Reipublicæ*, attamen non nisi hisce mediantibus, feliciter tractari potest *Jus publicum*, utpote quæ duo *Fulera* sunt *Jurisprudentiæ publicæ*: nimirâm *Historia* ostendit *Originem Reipublicæ* ac *Mutationem*, quam scire profectò necessarium est ad *Jurisprudentiam publicam*, nam *Forma Reipublicæ* cum nascente *Republica* nascitur, cum alteratâ alteratur, cum pereunte perit; *Occasionem* quoque *Legum* atque *Conventionum, Jurium* atque *Privilegiorum*, ipsa non modò docet *Historia*, sed & utràque quæ pollet *Arte*, & *criticâ* & *diplomaticâ*, certum ab incerto, verum à falso, scitè,

scitè, opportunè distinguit, ut adeò exacta illius *Notitia* ad solidam *Jurisprudentiam publicam* summoperè sit necessària. Eàdem ratione requiritur *Notitia Politica*, quàm absque illà sæpè *Ratio Legis*, quæ tamen ejus anima est, nequeat assignari: sic non intelligo, cur *Aurea Bulla* C. 17. §. 2. permittat violentas Privatorum Adgressiones mutuas, modò *Diffidatio* tribus ante Adgressionem diebus *Parti distanti* personaliter & publicè fuerit intimata, cum tamen hæc *Constitutio* planè repugnet aliis *Imperii Constitutionibus*, quibus hujusmodi *Adgressio* aut Violentia inter *Privatos* omninò est interdicta, nihilominùs *Aurea Bulla* inter præcipuas *Leges Imperii fundamentales* numeratur: at *Constitutionis* hujus rationem ipsa docet *Politica*: videlicet eo tempore *Jus manuarium* (*Haus-Necht*) adeò adhuc vigeat, ut planè ac radicatus simul & semel tolli necdum potuerit, hinc tali *Constitutione politicâ* ejusmodi *violente Adgressioni* saltim præfigebantur termini atque Modus, quo intereà *Adgressio subita* atque inordinata faciliùs impediatur. At non tantùm *Rationem Legum* docet *Politica*, verùm & illarum *Incommoda* horumque *Remedia*, uti & utilitatem ex *Lege* proveniente aut sperandam ostendit, ut adeò *Jurisprudentia publica* absque hujus *Cognitione* firmiter stare nequeat: quàmvis enim *Jus publicum* in proprio sensu sint *Leges publicæ*, non tamen eas solas docet *Jurisprudentia publica*, sed iisdem adjungit etiàm omnia illa, quæ ad eas aut scitè intelligendas, aut si ambiguarum sint, dextrè interpretandas faciunt: unde & in *Definitionibus rerum v. c.* quale sit *Jus publicum*? quænam *Reipublicæ forma*? quid *Status Imperii*? quid *Comitia*? quid *Collegium Electorale*? quid *Judicium Imperiale aulicum*? quid *Camera*? &c. Interdum in obscurâ *Dignitatum* ac rerum *Origine*, *historicâ* occasionum *Enarratione*, *genealogicâ* *Stemmatum* *Explanatione*, *Matricularum* *Collectione*, aliisque id generis versamur: quæ quidem omnia ad *Jurisprudentiam publicam* apprimè sunt necessària, ipsum tamen *Jus publicum* nec sunt, nec propriâ *Acceptatione* dici possunt. Ex quibus colligitur, quod ipsa *Juris publici Expositio* etiàm sub prætenso titulo *Notitiæ Reipublicæ* nullatenùs pertineat ad *Historicos* & *Politicos*, quatenùs potior pars *Notitiæ Reipublicæ* in ipsis consistit *Legibus publicis*, quarum *Interpretatio* sine omni contradictione, propriè spectat ad *Jurisconsultum*, qui, ut *Munere* suo rectè fungatur, *Historicâ* æquè ac *Politica* nôsse debet: cum contra *Historicus* & *Politicus* adhuc subsistant strictè tales, quin ipsa *Legum publicarum Interpretatio* ad eosdem vel minimè pertineat. Vide *Werlboff* *Notitia Imp.* C. I. §. 5. — *Cl. Bosii* *Introd. in Notit. Rerum publ.* C. I. — *Schwederi* *Introd. Jur. publ. P. gen.* C. I. §. 6. — *Conf. Pfeffinger* ad *Vitr.* L. I. Tit. I. §. 9. sq.

CAPUT

## CAPUT TERTIUM

DE

*Jure publico in specie Romano-germanico.*

§phus I.

De Indole & Naturâ *Juris publici Romano-germanici.*

U Visce jam præcognitis progredimur paulò proximius ad nostram in specie  
N *Jus publicum Romano-germanicum*, quod tanquam *Jus publicum particulare* soli Imperio Romano-germanico proprium fundatur in *Principiis universalibus* per Recessus Imperii, Capitulationes cæsareas, Pacta & Pacificationes, ad præsentem Imperii nostri Statum determinatis: est itaque *Jus publicum Romano-germanicum* Complexus Legum, ad Statum Imperii Romano-germanici, ejusque Gubernationem & Conservationem principaliter ac per se pertinentium; vnde & eadem fuit ejusdem in specie *Jurisprudentiæ publicæ* Definitio: quod sit habitus practicus, Leges publicas & fundamentales Imperii Romano-germanici, resque iis connexas rectè intelligendi & dextrè adplicandi ad Casus speciales in eodem Imperio obvenientes, ut adpareat quid justum in iis sit, atque injustum? Hæc verò *Jurisprudentia publica* præsertim in nostro Imperio vel eò magis est necessaria, quò magis anomala, & latius extensa est *Civitatibus Romano-germanicæ* forma: sua quippe sunt Jura specialia *Imperatoribus*, & singulis *Imperii Statibus*: alia *Electo-ribus*, alia *Principibus* tum novis, tum antiquis: alia *Comitibus*, ac *Prælatibus*, alia *Civitatibus*, alia diversis diversorum *Territoriorum Dominis*: sua porrò sunt Jura specialia *Nobilitati immediatæ*, atque *Ordini Equestri*: sua demùm *Sacerdotio*, & sua *Imperio*, ut adeò nullibi magis intersit, hanc *regiam Jurisprudentiæ Partem* novisse, idque vel eò magis, quo exactius ad ipsam *Imperii* nostri Conservationem primariò attendere oporteat, ne dum *Cæsari* quid tribuimus, in *Jura Statuum* impingamus, *Ordinum* libertatem vel nimium extendamus, aut nimium restringamus, sed ut sua cujusque Jura intrà justos quæque limites dimetiamur. — Immò hæc *Juris publici Scientia* in nostro Imperio inde eò adhuc magis requiritur, quò plures diversæ in eodem vigent *Religiones*, quibus per *Jus publicum* cum Termini, tum cætera sua Jura definiuntur, id quod circa hanc præprimis Materiam valdè intricatam, ad evitandas plurimas inde emergi solitas Turbationes, vel maximè fuerit novisse. Rideant ergò *Extranei* rerum *Imperii* nostri publicarum imperiti nostram in excolendo *Jure publico* Curam atque Sollicitudinem: imprudentiæ illos arguent ex propriis *Patriotis* illi, quibus Munere *Legationum* fungi, aut alia negotia publica in nostro

Im-

*Imperio* aliâ occasione pertractare contigit, aut continget unquam, qui *Notitiam Imperii* nostri, quam in *Academiis* neglexerunt, ac vel acquirendi occasionem non habuerunt, ferreo labore nimis serò comparare debuissent, vno ore profitebuntur.

## §phus II.

### De Jure publico Germanicæ primævo.

Supra jam notavimus, ab Origine & Mutatione *Reipublicæ* etiam haberi Originem ac Mutationem *Juris publici*, unde *Jus publicum germanicum* propriè loquendo, ortum suum trahit, ab eo tempore, quo Divisione amplissimi *Francorum Imperii* inter *Ludovici Pii* filios facta per *Pactum Verdunense* a. 843. *Germania* tanquam *Regnum sui juris*, assignata fuit *Ludovico* inde dicto *Germanico*: Enimverò sub *Imp. Carolingicis*, & diù quoque post illos, pauca admodum *Leges publicæ* extiterunt, quod mirum non est, ubi tam ampla *Regum* potestas, qui omnia pro arbitrio disponunt: amplissimam verò *Carolingicorum* fuisse potestatem, nemo est, qui ignorat; *Carolus* equidem non nisi in *Comitiis* *Leges* ferebat, sicut & hodiè obtinet: ast *Comitia* hæc tantum adhibebantur *Consilii gratiâ*, unde *vota Ordinum* in illis erant merè *consultativa* potius, quam vel in nimè *decisiva*: quemadmodum enim *Princeps* in *Negotiis* gravioribus adhibere solet *Consiliarios*, ita olim *Imperator* non nisi in *vim Consilii* *Consensum* expetiit *Procerum Imperii*. Omnes verò istæ *Leges* à *Carolo M.* conditæ, quarum pauca *Statum publicum*, plures *Statum ecclesiasticum* concernebant, à *Salusio* collectæ, extant sub nomine *Capitularium Francorum*.

## §phus III.

### De variis *Juris publici germanici* Mutationibus atque Incrementis,

Crescente ac vel mutatâ *Reipublicâ* sensim excrevit ac vel mutatum fuit nostrum *Jus publicum*, & primùm quidem sub *Ottone M.* duplicatam fortitur Denominationem, *Romano-germanicum*: quando videlicet sub eodem gloriosissimo *Imperatore*, nostra *Germania* cum *Regno Longobardico*, ipsoque *Imperio Romano* nexu perpetuo fuit conjuncta. Sic sub *Imperatoribus*, *Ottone* M. subsecutus, cum ipso *Legum fundamentalium* numero sensim adauctum fuit *Jus publicum Romano-germanicum*, proût res *Ecclesiæ*, aut causæ *Feudorum*, aut *Bellorum* rationes id exposcebant: sic ubi sumamus *Pontifex* cum *Henrico IV.* *Imp.* propter *Investituram* *Episcoporum* per *annulum & baculum* factam contendebat, quatenus per hoc *Episcopis* non tantum sæcularia Bona, sed ipsa etiam *Potestas spiritualis* ab *Imperatore* concedi videretur, celebris tandem *Transactio*



*Calixtina*, a. 1122. nata est sub *Henrico V. Imp.* quâ *Capitalis* libertas eligendi Episcopos restituta, & investitura *per Sceptum* fuit introducta. Porro cum inclita nostra *Natio germanica*, de *Curiâ Romanâ*, ratione Annatarum, Beneficiorum, Collationum, aliarumque id genus *Reservationum Pontificiarum*, diù fuisset conquesta, hisce tandem querelis ac gravaminibus Medelam attulit *Concilium Constantiense*, vnde ejusdem *Decretis* utuntur satis favorabilibus, & sub *Alberto II.* Moguntia ab *Imperio* acceptatis, paucis tamen ad effectum deductis, ipsa demum *Concordata Germaniæ* inter *Fridericum III. Imp.* & *Nicolaum V.* a. 1448. *Aschaffenburgi* conclusa provenerunt. Sic ratione *Belli Schmalcaldici* a. 1555. in *Comitiis Augustanis* condita fuit *Pax Religiosa*, quâ primùm *Jura Catholicis* propria, communicabantur cum *Protestantibus*, vti postea ratione *Belli tricennalis* exorta est ipsa *Pax Westphalica*: quæ omnes præter alias in *Imperio* nostro Romano-germanico *Leges sunt publicæ ac fundamentales*, quatenus ipsum *Civitatis* nostræ *Statum publicum* primariò concernunt, ac vel ipsam *Regiminis formam* adficiunt.

#### §phus IV.

De novissimâ *Juris publici Romano-germanici* facie sub *Maximiliano I. Imp.*

Enimverò ante tempora *Maximiliani I. Imp.* *Leges* atque *Imperii Recessus* ut plurimum fuere neglecti, neque in scripturam redacti: quippe *Status potentiores* non comparuere in *Comitiis*, hæc comparendi necessitate vel solis *Imperii Civitatibus* incumbente, quæ etiã solæ & unicæ erant sollicitæ in *Legibus* consignandis, vnde omnes *Recessus* ante *Maximilianum* conditi, ex ipsis *Civitatum Archiviis* peti debuerunt. Ast tempore *Maximiliani I.* egregia facta fuit Mutatio: mortuo namque a. 1496 *Sigismundo* Archiduce Austr. omnes & singulæ *Terræ Austriacæ* ad vnum devolvebantur ipsumque *Imperatorem*, ab a. 1362. inter *Alberti II.* filios divisæ: præterquàm quod per Matrimonium filii sui Archiducis *Philippi* cum *Joannâ*, unicâ *Ferdinandi Catholici* hærede, ipsi *Domui Austriacæ* cæteròquin sat potenti, tantus tamque spectabilis fieret accessus: vnde *Status Imperii* ab *Imperatore* nimium prævalido sibi timentes, varia nolentes volentes *Pacta*, & *Conventiones publicas* iniierunt: & tunc primùm exactiùs servari cœperunt *Comitiorum Decreta*, *Pactorum Tabulæ*, aliaque *Acta publica*.

#### §phus V.

De septem majoribus *Juris publici Romano-germanici* Epochis.

Ast seriùs in *Sistema* redigi cœperunt, de quo antequàm fusiùs tractabimus, præmittendæ veniunt septem majores nostri *Juris publici Romano-germanici*

nici Epochæ eâ Vicissitudines, quarum prima statim incipit sub *Ottone M.* ubi Regnum *Germaniæ* cum *Longobardico*, ipsoque *Imperio Romano* fuit conjunctum: vnde eminentiori Prædicato: *sacri Imperii Romano-germanici* (das *H. Römische Reich deutscher Nation*) ejusque Rex titulo: *Augusti à Romanorum Imperatoris* Jure perpetuo vtuntur. Altera contigit sub *Henrico IV.* Imp. qui primus à *Gregorio VII. P. Banno ecclesiastico* fuit notatus, Exemplo alias inaudito, quo postea sub *Henrico V.* Imp. celebris illa *Transactio Calixtina* fuit exorta. Tertiam *Juris publici Romano-germanici* Periodum dederunt *magni Interregni* tempora, ubi post obitum *Conradi IV.* Imp. ab a. 1254. usque ad *Rudolphi Habsb. Electionem*, per integros *XIX.* annos *Imperium* legitimo destituebatur *Capite, Comitibus* atque *Imperii Tribunalibus* clausis, Turbis, Diffidationibus, Bellis atque Rapinis omnia fasque deque vertentibus: vnde inter *Status* aliosque *Privatos* mutua defensionis Pacta, Austregæ, diversaque *Ordinum* Jura promanarunt: inde incrementa fecerunt *Urbes Imperiales*, atque *Nobilitas immediata*, præsertim extinctis *Ducum Francorum, Suevorumque* Familiis: incremente indies *Superioritate Statuum territoriali*, atque exorto demum *Electoralis Collegio* antè prorsus incognito. Quarta oritur Mutatio sub *Carolo IV.* Imp. quando per *auream Bullam* velut primam *Imperii nostri Constitutionem pragmaticam*, prior *Juris publici Romano-germanici* hætenus soli *Observantia* innixi incertitudo fuit sublata, indefinita *Imperatoris* atque *Electorum* Jura jam primam definita, ipsaque *Imperii Forma* hucusque incognita, jam primam certa reddebatur. Quinta atque principalior nostri *Juris publici* Epochæ Originem suam debet *Maximiliano I.* sub cujus glorioso Regimine *Imperium Romano-germanicum* novam veluti faciem induere cepit, *Judicio Camerali* a. 1495. in Comitibus *Wormat.* instituto: *Jure Austregarum* confirmato: per *Constitutionem de Pace publica eâ civili profana* (königlicher Landfriede) *Jure manuario* tam fatali, penitus eradicato: *Imperio* in Comitibus *Augustanis* in *decem Circulos* diviso: ipsoque *Regimine* diversis *Constitutionibus* aliis in presentem serè *formam* redacto. Sexta occurrit Vicissitudo sub *Carolo V.* Imp. cui tanquam *Principi* nimis præpotenti prima ab *Electoribus* præscripta fuit *Capitulatio*, post *Coronationis* solennia jure jurando firmata, modo ab omnibus *neo-Electis* tanquam præcipua *Imperii nostri Lex fundamentalis* in perpetuum confirmanda. Sub eodem *Carolo V.* a. 1521. in Comitibus *Wormat.* publicata fuit *Matricula Imperii*: a. 1555. in Comitibus *August.* condita *Pax Religiosa*, atque *Ordo Executionis* decretus. Septimam denique atque ultimam nostri *Juris publici Romano-germanici* Periodum ipsa terminat *Pax Westphalica*, *Osnabrugæ & Monasterii* celebrata, per quam *Electorum* æquè ac reliquorum *Imperii Ordinum* Jura *Majestatis* æmula sensim acquisita, lege perpetua fuere

confirmata, Jura etiã viriusque *Religionis*, receptis quoque *Reformatis*, stabilita, *Corpus protestanticum* ab ipso *Catholicorum Corpore* certis Legibus divisum, *octavus Electoratus* neo-introductus, plurimã *Statuum* Controversiã solenniter definitã; ipsaque totius *Imperii* ejusve *Regiminis formã* itã universaliter constructa, ut ideò hæc *Pax Westphalica* merito adpellatur ipsum *Imperii nostri Palladium*. Quãvis intereã per *Recessum Imperii novissimum*, per *Pacem Novio-magensem*, *Ryswicensem*, atque *Badensem*, per nonum *Electoratam*, &c. diversas nostrum *Jus publicum* hucúsque subiërit Mutationes, hæc tamen omnes ipsam *Imperii nostri Structuram* adeò necdũ alterarunt; quin minas itã substantialiter immutarunt, ut ad novam *Juris publici Periodum* propriè constituendam videri possent sufficientes:

#### §phus VI.

#### De diversis *Juris publici Germaniæ* Natalibus.

Ex jam dictis adparet, quod si quæstio sit de *Jure publico Germaniæ primævo*, eẽ generaliter tali, illud ortum suum habeat cum ortu *Imperii germanici*: quod si quaratur de *Jure publico Romano-germanico* quã tali in specie, hoc ortum suum trahat ab ipso *Germaniæ nexu cum Imperio Romano*: si verò præcisè sit quæstio de nostro *Jure publico præsentis*, quale hodiè in *Imperio* viget, istud ad tempora *Maximiliani I. Imp.* debeat referri.

#### §phus VII.

#### De *Jure publico Romano-germanico* sensim in *Sistema* redactõ.

At seriùs in *Sistema* fact redactum: Equidem ante *Maximilianum I.* plurimi in ipsum *Jus publicum* veluti *Sistema* Commentarios scripserunt, qui hodiè tamen aut exiguum, aut ferè nullum suppetitant vsum: sic *Leopoldus de Babenberg*, Ecclesiã Moguntinã Canonicus, postea Episcopus Bambergensis, Seculo XIV. in hoc *Jus publicum* edidit *Commentarium*, cui plurimum ex *Jure Canonico* atque *Civili* promiscuè inseruit, purè scribendo de *Juribus Cæsaris*, nihil de *Jure Statuum* commemorando. Item *Petrus ab Andlo*, Canonicus Colmariensis, collegit *Acta Imperii publica*, sed irritò ferè Conatu: ista namque *Sistemata* omninò manca erant, atque imperfecta, quã in seculis subsequentibus per varias *Imperii Constitutiones*, præsertim per *Instrumentum Pacis Westphaliæ*, plurima in *Imperio* fuerint innovata, hisce priorum seculorum *Authoribus* incognita. Pleniùs *Juris publici Romano-germanici* Fontes examinare cœpit seculo XV. *Dominicus Aruncus* Jenensis, qui potissimum *Juris publici Sistema* certis *Dissertationibus*, quinque distinctis *Voluminibus* absolvit, quem feliciter secutus est *Christoph. Lehmannus* in *Chronico* suo *Spirensi*, pluresque alii magni nominis *Scriptores* recentiores ævi.

Sphus VIII.

De Quæstione: an expediat, *Jurisprudentiam publicam* tradere in *Academiis*?

Isdem temporibus, quæ paulo penitiùs inquiri cœperat in ipsum *Jus publicum*, suborta est quæstio: an liceret *Jurisprudentiam publicam* tradere in *Academiis*? quatenùs *Privatorum* non esset noscere, atque inspicere *Arcana Principum*: at mox composita Lis est, quin hodiè vel minimum desuper ampliùs super sit dubium: tùm, quod non *Arcana Imperii*, sed ea, quæ publicis *Historiarum Monumentis*, atque *Imperii Legibus* comprehenduntur, in *Jure publico* doceantur: tùm quod *Jurisprudentia publica* sit pars principalior *universæ Jurisprudentiæ*, quæ antequàm sive *Vitam civilem*, sive *Aulam* ingrediamur, nos eruditos satis atque idoneos reddere debet ad *Rempublicam* in Partibus nobis credendis ritè gubernandam, immò quam addiscere vel eo magis necessarium est *Juris-Consulto*, quo magis *Imperatoris & Statuum* interest, totique *Imperio* proficuum, dari Viros, qui ejus structuram nôrint, & sic ad *Negotia publica* scitè administranda possint adhiberi. Verùm tamen præ omnibus cavendum est, ne fortè aliquandò *Negotiorum publicorum Gestores* in *Potentiorum Controversiis* nimia utamur *Licentiâ*, ne vel impingamus contra *Jura Caesaris*, aut *Principis* alterius præpotentis, sed potiùs reflectere oportet ad aureum illud *Parcœmium*: difficile est scribere de illis, qui possunt præscribere, & periculosum de illis judicare, qui valent condemnare. Vide J. P. O. art. V. §. 50.

Sphus IX.

De vulgari antiquâ *Juris publici* tradendi *Methodo*.

Quùm interim hoc ipsum postea *Jus publicum* explicare cœperint *Juris-Consulti*, in eodem tradendo varii variâ usi sunt *Methodo*: Quidam ex *Jure civili* potiùs, quàm ex ipsis *Legibus Imperii fundamentalibus* hanc doctrinam declarârunt, *Jus Romanum* in fundamentum vocantes, ut à moderno *Imperii* Statu prorsùs alienum: sicut enim hodierna nostri *Imperii forma* à antiquâ *Reipublicæ Romanæ structurâ* toto cœlo discrepat, ita quoque *Jus publicum Romanum* nostræ *Civitatis germanicæ* Statui ne vel minimè convenit: immò quàm parùm *Leges Imperii nostri fundamentales* alteri conformes sunt *Reipublicæ*, tam parùm quoque *Leges Romanæ* fundamentum esse possunt nostri *Juris publici*; sic *Authores* non nulli summam nostri *Imperatoris Potestatem* ineptè fundârunt in famosâ *Lege Rhodiâ de jactu*: *Electores*, *Provinciarum Præsides*, ipsumque *Saxonem* velût *Imperii Archi-Marescallum*, *Præfecto Prætorio* comparantes, quorum *Authorum Duces* erant: *Arumæus JC.* *Daniel Otto*, *Paurmeisterus*, *Sprengerus* &c. Vnde emergit, istos *Jurisprudentiæ* *Deditos oleum*

& operam perdere, qui ex *Bartoli*, similiumve Traditionibus, hodiernum *Imperii Romano-germanici Statum* dimetiuntur. Nec inde tamen *Leges civiles*, earumve *Rationes* ab *Instituto nostro* penitus proferibendas esse concludimus, quin potius fateamur, multa in iis, *Juri naturæ & Gentium* consentanea reperiri, quæ formando firmandoque *Statui nostro*, *Statusque Rationi* adminiculentur. Hisce ergo utamur ita, ut ne dominantur *Instituto nostro*, sed ancillentur, æserviant.

### Sphus X.

#### De falsis plurimorum *Juris publici Doctorum* Hypothesibus.

A lii quidam secuti sunt *Principia Domestica*, æ magis genuina, veluti *A Herman. Convingius*, primùm *Medicus*, dein *Studium juridicum* teclatus, & *Professor Helmstadiensis* factus, quem insecuti sunt alii, præsertim *Puffendorffius*, & *Hyppolitus à Lapide*: *Principia autem Domestica* isti sequuntur, qui *Statum Juris publici modernum* bene separant à *Statu publico Juris antiqui*, rectam inter utrumque *Comparisonem* instituentes: sed & isti hæc sua *Principia* falsis plerùmque *Hypothesibus* adplicarunt: sic *Hyppolitus à Lapide* contendit, veram in *Imperio* *Majestatem* residere penès *Status, Imperatore* non nisi larvatam præ se ferente: ast *Libellus* iste a. 1647. sub *Anonymo* conscriptus fuit in odium *augustissimæ Domûs Austriacæ*, id quod satis ostendit *Icon* *Libro* præfixa, *Aquilam* repræsentans, ad quam deplumandam varii accedunt *Reges* atque *Principes*; plurimos, qui tempore, quo *Liber* prodiit, vixere, *Juris publici peritos* conjectura tetigit, quod sint ejusdem *Libelli* *Authores*: ast vel maximâ tamen, magisque fundatâ penès *Phil. Bogisl. Gemnizium*, ex *Holsatiâ* (*Hollstein*) oriundum, antea *Militem*, post *Sueciæ Historiographum* residente. Sic *Puffendorffius* æque sub *Anonymo Severini Monzambano*, edidit *Librum*, in quo talsam contexit *Hypothesin*: *Imperium* esse *Sistema Civitatum*, ad *Normam* videlicet *septem Belgii Provinciarum* fœdere inæquali junctarum. Alterius hujusmodi *Sistematis* *Author* est *Coccejus*, quem sequitur *Ludwigius*, ubi contendit: *septem* olim fuisse *Populos Germaniæ Principes*: scilicet *Suevos, Francos, Vandalos, Saxones, Longobardos, Thuringios, & Bavaros*, omnes à *Carolo M.* subjugatos, æ vel injuriâ temporum subpressos, post *Imperatores* verò *Carolingicos* sub *Conrado I.* quasi *Jure postliminii* restitutos: hosce *Populos Germaniæ Principes* hodiè adhuc repræsentari per *Status Imperii præstantiores*, scilicet: *Electores Saxonicum, Bavaricum, Brandenburgicum &c.* penès eosdem veluti *Numina Gentis majora* summam in *Imperio* residere *Potestatem*, reliquos *Status*, veluti *Numina Gentis minora* nonnisi ab illis *majoribus* suam habere *Potestatis* portionem; ast *Sistema* hoc totum quantum convellit vel sola *Pas-*  
*West-*

*Westphalica*, quæ tanquam præcipua *Lex fundamentalis* æqualem omnibus *Imperii Ordinibus* Potestatem, Jure perpetuo attribuit. Vide Gottl. Sam. *Treveri* Diss. de Studiis Imperii R. G. ruinam procurantibus. *Helmst.* 1730.

## CAPUT QUARTUM

DE

Recentiori Academica *Juris publici* tradendi Methodo.

§phus I.

De *Jure Naturæ & Gentium* ad Methodum hanc  
servandam prærequisito.

De ipsa *Juris publici* tradendi *Methodo* jam plurimi disputarunt, ista tamen  
semper præhabita, quæ ex ipso ejusdem *Discipline* Objecto, Formâ, &  
Serie delimitur; Ast *Methodus* illa exactè servari non potest absque prævio  
*Jure Gentium*, eû *publico universali*, omnis *Juris publici particularis*  
Principio, Basi ac Fundamento: enimverò jam antè monstravimus, *Jus Gen-*  
*tium*, eû *publicum universale*, ipsum esse *Jus Naturæ*, ad Statum integrarum  
*Gentium* adcommodatum, quatenus nempè vti tamquam *privatum* Actiones  
dirigit privatorum hominum, sic tamquam *publicum* Jura quoque atque Officia  
*Rerumpublicarum* definit: vnde & resultare vidimus ipsam *Juris Gentium*,  
eû *publici universalis* Definitionem, quod sit complexus Legum naturalium,  
quæ Actiones integrarum *Gentium* ordinant. Jam videamus, quantum Aucto-  
ritatis huic tribuendum sit *Juri Naturæ* in nostro *Jure publico Romano-ger-*  
*manico*, ejus nec solida adquiri notitia, nec Controversiæ circa negotia Imperii  
publica oriundæ, satis commodè poterunt dijudicari, nisi cum *Legibus Imperii*  
*fundamentalibus*, quæ *propria Juris nostri Principia* constituunt, ipsa quoque  
*Juris naturæ Placita* constanter conjunxerimus.

Quodsi enim scire *Leges* non est illarum *Verba* tenere, sed *Vim* ac *Potesta-*  
*tem*, quam qui penitiùs introspicere voluerit, opus omninò habet, ut in veras  
*Legis* cujusvis *Rationes* inquireat, frustra quoque is *Leges publicas* se scire cre-  
diderit, qui earum *Fundamenta* satis cognita non habet atque perspecta. Quàm  
itaque prima omnis *Juris publici Fundamenta* in ipso *Jure Naturæ* tanquam  
*Principio* quaerenda sint, non possumus, quin hujus *Juris* Studium ad solidam  
nostri *Juris publici* Cognitionem imbibendam, non vtile modò, sed planè ne-  
cessarium esse defendamus. Sive verò ipsam *Juris publici S. R. I Doctrinam*  
speciemus, sive ad *Praxin* ejusdem atque *Vitum* respiciamus, nusquam sanè  
quidquam proficere sine *Juris Naturæ* auxilio poterit, qui *Nubem* pro *Funone*  
amplecti noluerit. Hinc quoque est, quòd nostrum *Jus publicum*, ex quo  
*Juris*

*Juris naturæ Prudentia* magis colit, aliam prorsus induerit faciem, atque eliminatis antiquis illis erroribus ac præjudiciis, indies in melius fuerit immutatum. Neque igitur *Juris Naturæ* in nostro *Jure publico* Usus tantum dici potest *Subsidiarius*, quia potius eidem veri *Principii* honorem decernamus oportet.

Sphus II.

De *Jure Naturæ & Gentium*, cetero vero *Juris publici*

*Rno-germanici Principio*.

At magis adhuc, quæ jam disseruimus, elucescent, ubi ad utramque *Juris Naturæ* partem, quæ *privati* scilicet æquè ac *publici*, animum advertimus, atque hic præsertim utriusque Rationem habuerimus: quamvis enim primo intuitu videri posset, non nisi posteriori, cetero *Juri Naturæ publico* inter *Principia* nostri *Juris publici* locum quendam esse concedendum, ex sequentibus tamen apparebit, prioris quoque, cetero *Juris Naturæ privati* frequentiore esse in nostro *Jure publico* Usum, pro Ratione scilicet *Imperii R. G. Formæ*, ad quam in illo definiendo vel maxime oportet respicere: ipsa quoque *Imperii* nostri *Membra* curatori attentione veniunt consideranda, ut pro diverso eorum Statu, diversum quoque Jus, quo utuntur, ritè valeamus discernere. Quodsi enim ad partes illas, ex quibus integrum *Imperii* nostri Corpus conficitur, respiciamus, deprehendimus, plurimas illud comprehendere *Respublicas*, unà cum Subditis suis univèrso quidem *Imperio* obnoxias, at mediatè tamen, quatenus nimiram illarum *Imperantes* summæ in *Imperio* Potestati intelliguntur subordinati, cui proinde per *Pacta Imperii* constitutiva, quæ *Leges Fundamentales* nominamus, subjiçuntur: hi autem, intuitu *Reipublicæ*, quam quisque regit, summam ipsimet exercent Potestatem, & Jure quidem proprio, proinde tamen privati cujusvis *Territorii*: in Relatione verò ad ipsum *Imperium*, diversimodè sunt considerandi, quatenus vel ut *universi* in eodem sunt *Coimperantes*, vel ut *singuli* eidem subordinantur. Hinc etiàm ubi cum *Constatibus* conferuntur, *Privatis* simpliciter æquiparari nequeunt, quamvis inter se æquales, eidemque *Imperio* subsint: veràm opus omnino est, ut hoc quoque respectu, Conditionis eorum, vi cujus ipsimet in *Territoriis* suis veri summique sunt *Imperantes*; Ratio habeatur: id quod multò adhuc magis intuitu *Exteriorum*, qui ad *Imperium* nostrum hæc pertinent, locum habebit. Quàm jam quid circa negotia *Memborum Imperii* tam inter se, quam cum *Exteris* obtineat, ad nostrum quoque *Jus publicum* vel hæc Ratione sit referendum, quod ejusdem Decisio plerumque etiàm ex Statu illorum & Relatione, quam ad ipsum habent *Imperium*, dependeat, non possiamus sanè, quin *Jus Naturæ privatum* æquè ac *Gentium*, ipsis nostri *Juris publici Principii* adnumeremus. Quæ

propter

propter ut mentem nostram circa Vsum *Juris Naturæ* in nostro *Jure publico* R. G. paucis exponamus, sequentibus eam exprimere visum est *Positionibus*: I. Jus Naturæ publicum ceû Gentium vniuersale, nostrum non modò Jus publicum particulare Romano-germanicum, verùm & speciale quodlibet singulorum Imperii R. G. Territoriorum fundat, illustrat, & moderatur: II. in Negotiis Statuum Imperii inter se atque Exteros, nec non in iis, quæ ipsos cum eorum Subditis intercedunt, non Jure Gentium modò, sed vel maximè etiàm *Juri Naturæ privato* locus est. *Pactorum* verò atque *Legum Imperii fundamentalium* mentionem hic fieri nullam, vel ideò mirari non debet, quia de *Principio* jam agimus *communi*, ceû primo *Juris publici Fundamento*, quod tantùm abest, ut reliqua ejusdem *Principia* propria excludat, ut ea potiùs ipsa sui naturâ præsupponat, eorumque ante omnia Rationem habere dicat.

### §phus III.

De ipso *Juris Naturæ* in nostro *Jure publico* Rno-germanico Vsu.

Ne vllum tamen Dissidentibus relinquamus Sententiæ suæ præsidium, cum forte urgere possent, omnia quæ hætenùs disseruimus, *Juris Naturæ* Vsum non nisi subsidiarium innuere: nostrum nunc erit, ut Modum quoque fundamentalem, quo ipse *Juris Naturæ* in nostro *Jure publico* Vsum se exserat, ostendamus: ex quo certò demùm poterit constare, quâ ratione ipsum *Jus Naturæ* verum dicatur nostri *Juris publici* Principium ac Fundamentum. Duplicem quippe *Juris Naturæ* in ipso *Jure publico* Vsum, præter subsidiarium illùm aut suppletorium, deprehendimus, quorum alter quidem ad illustrandum *Jus publicum*, alter ad confirmandum illud, pertinet: *Jus* enim sine *Interpretatione* nullum est, sine *Doctrinâ*, nulla est *Jurisprudencia*: *Jus publicum* verò ipsâ præsertim *Juris Naturæ* doctrinâ atque interpretatione illustrandum, demonstratâ *Legis positivæ* cum *Legè naturali* Consonantiâ erit confirmandum:

De variis *Interpretationis* speciebus hic agere nihil attinet, maximè cum eam omnem non nisi *Doctrinalem* esse, *Authenticam* verò cum *Vsuali* ad ipsam potiùs *Legislationem* pertinere, nulli dubitemus. Id saltem defendimus, neque in adornandâ *Juris publici* Doctrinâ, neque in illustrandis *Legibus Imperii* obscurioribus aut dubiis, *Jure naturæ* carere nos posse, immò potiùs ad illud tanquam *omnis Juris Principium* esse recurrendum: quodsi enim, ut loquitur *Cicero* de Leg. L. I. *Stirps omnis juris natura est*, adeòque omne *Jus publicum particulare* in *jure illo vniuersali*, quod *naturæ* dicimus, fundamentum suum invenit, nemo sanè illud commodè tradere poterit aut explicare, nisi sufficiente *juris naturæ* Doctrinâ fuerit instructus. Omnes quippè *Leges positivæ* ceû humanæ vel *Additamenta* comprehendunt, quibus *jus naturæ* auctum est,

vel



vel saltem *Conclusiones* ex eo deductas continent: illorum intuitu quàm maximè interest, ut à iis, quæ *Juris naturæ* sunt, probè secernantur, has autem ex propriis *Principiis* addiscere omninò expedit, ut genuinum earum sensum penitius indagare, & *Legis* adeò non verba tantùm, sed vim quoque ac potestatem tenere possimus. Quàmvis igitur nec *Leges expressæ*, quas *publicas fundamentales* hic dici constat, nos deficiant, ipso tamen *Jure naturæ* carere non poterimus, aut omnis, quam in *Jure publico* adfectamus, scientia manca erit & valdè superficialia, immò haud rarò multùm ineptiens, ubi nimirùm veri *Legis* cujusdam *Principii* loco, absurda non nisi glossemata aucupamur: id quod, vti intuitu *Legum* illarum certum est, quæ satis claræ sunt & perspicuæ, ità multò magis adhuc in dubiis atque obscuris locum habebit. Quùm porrò *Jus naturæ* fundamentum omnis *Juris humani* constituat, hinc illos etiàm, penès quos in *Imperio* nostro *Leges publicas* ferendi est potestas, in his condendis præcipuò *Juris naturæ* rationem habuisse, idque in dubio potiùs voluisse confirmare, præsumendum est: neque adeò sensus cujusdam *Legis publicæ*, *Principiis Juris naturæ* contrarius, vnquam defendendus erit, sed in dubio strictim illud sequi convenit. Quod qui fecerit, nunquam profectò præconceptis *Opinionibus*, *Antiquitatis* licet speciem præ se ferentibus, seduci, aut *Partium* studio poterit corrumpi: quùm è contrario, neglectis *Juris naturæ* Studiis, facillimum sit, ut *Opinionem* quandam adparenter quidem satis speciosam, in se tamen omni penitùs fundamento destitutam adoptemus, maximè ubi *Parti* cuidam præ cæteris dediti id plerùmque verum magis justumque arbitremur, quod eidem quàm optimè convenit. Ex quibus facilè de altero quoque, quo ipse *Juris naturæ* in nostro *Jure publico* *Vius* se exferit, Modo, qui in eodem confirmando consistit, constare poterit: quippe fieri sanè vix potest, ut quod vni expedit, alteri quoque conducat, unde frequentiores de *Legibus* quasi parùm æquis, exaudiuntur querelæ, id quod idem intuitu nostri *Juris publici* non rarò evenire constat: enimverò non *Exteri* modò sæpissimè illud iniquitatis accusare intendunt, verùm & ipsa adeò *Membra Imperii* de eodem conqueruntur, quorum scilicet *Utilitati privatae* hoc vel illud *Legibus publicis* sancitum, minùs convenire videtur: qui sanè clamores compesci non poterunt faciliùs, quàm demonstratà *Legis positivæ* cum ipso *Jure naturæ* *Consonantiã*.

Ideò autem hic *Juris naturæ* generatim tantùm mentionem fecimus, cum ex antea dictis Consideranti jam satis adpareat, quænam *Juris naturæ* species, *privati* scilicet aut *publici*, pro indole cujusvis negotii præcipuè sit attendenda.

§phus IV.

De Usu *Juris naturæ* præsertim in *Jure circa Sacra*.

Quum porrò *Jus circa Sacra*, vel maximè in nostro *Imperio* haud minimam constituat *Juris publici Romano-germanici* partem, hinc paucis adhuc demonstrandum venit, ipsum inprimis *Jus naturæ* ceù *publicum universale* hæc quoque ex parte suo usu non destitui, quin potius veri *Principii* honorem & hic optimo tuebitur jure. Equidem verò hoc *Jus circa Sacra*, intuitu *Principum catholicorum*, Pactis cum *Sede Romanâ* initis, & Concordatis præsertim *Nationis germanicæ*, innititur, respectu autem *Principum protestantium*, ex *Transactione Passaviensi*, *Pace Religiosâ* præ primis *Westphalicâ*, dijudicandum est, sive tamen ad interpretationem *Legum* harum *fundamentalium* respiciamus, sive eas consideremus, quatenus contra *Protestantium* non modò, sed *Catholicorum* adeò *heterodoxorum* criminationes sunt defendendæ, sive dein ad ea animum advertamus, quæ *Legibus* hisce haud satis determinata, aliunde supplenda veniunt ac decidenda, non possumus sanè, quin maximum æquè & constantissimum *Juris publici universalis* in nostro *Jurepublico circa Sacra* Usus agnoscamus; Id quod disertè testatur celeberrimus *Rieggerius* in *Inst. Jurisprud. Eccl. P. I. §. 123.* his verbis: “utinàm desinerent aliquandò Viri cæteròquin docti illotis veluti manibus quæstionis illius gravissima, huicque similium tractationem ac vel crisi suscipere, & *Juri publico universali*, ceù *Gentium*, prius darent operam, eo, quo genuina societatis civilis Principia, Majestatisque Jura docebuntur.” — Vide quartam *Exercit. nostr. de Politia & Jure sacrorum. Bonn. 1775.* — Conf. octavam *Dissertat. nostr. de Superioritate territoriali Statuum Imperii. §. 2. n. 2.*

§phus V.

De ipsâ *Juris publici* tradendi Methodo hætenus in *Academiis* vsitatâ.

Atque hæc demum sunt, quæ pro demonstrando *Juris Gentium* præsertim ceù *publici universalis* in nostro *jure publico particulari* Usu, in medium proferre visum fuit: Quæ ità omninò comparata esse confidimus, ex quibus appareat, non *subsidiis* tantum loco in *jure publico* censi posse hoc ipsum *jus naturale*, sed verum potius ejusdem *Principium* constituere ac *fundamentum*. Quàm maximè igitur *juris hujus* studium omnibus iis erit commendandum, quibus solidior *juris publici* notitia, curæ cordique est. Unde quidem in plurimis atque celebrioribus *Germaniæ Academiis* ea est hætenus *jurisprudentiæ publicæ* tradendæ præscripta ratio, ut vel à alio Professore *jus publicum universale*, à altero *jus publicum Germaniæ*, vel utrumque à eodem, sed tempore atque ordine diverso

verso, juxtà diversa vtriusque *juris* hujus Sistemata, ceù *Compendia* haftenùs vsitata, *Auditoribus* prælegatur, quâ tamen ratione ipsis *Professoribus* ob diversum earundem vtriusque *juris* hujus Materiarum ordinem quàm remotissimè àb invicem distantibus, Occasio non est adeò opportuna, quò minùs singula *juris publici particularis* Capita, correlativis totidem *Juris publici universalis* Capitibus, suo tanquàm *Principio* velùt in flagranti adplicare, vnius tanquàm *Fontis* cum altero veluti *Rivo* Correlationem quasi Digiò monstrare, *Principia particularia ex universalibus* statim ad oculos deducere, vastissimumque *Ædificium* illud *publicum* suo *Fundamento* satis firmiter valeant superædificare.

#### §phus VI.

### De nostrâ recentiori academicâ *Jurisprudentiæ publicæ* tradendæ Methodo.

Quapropter (quò pro Coronide hæc nostra collimat Dissertatio) jam clariùs adparebit, quod erat demonstrandum: optimam nimirùm *jurisprudentiæ publicæ* tradendæ Methodum, utùt in *Acemiis* haftenùs inusitatam, *Auditoribus* tamen adcommodatissimam consistere in eo: quod *jus publicum universale* tanquàm *Fundamentum* nostri *juris publici particularis* ità cum eodem systematicè combinetur, ut singuli prioris, ceù *juris publici universalis* Tituli, servato eorum ordine, singulis pertinentibus àc correlativis Capitibus posterioris, ceù nostri *juris publici particularis*, ordine eorum licet inverso, successivè præmittantur, opportunè invicem componantur, atque hæc ratione nostrum *jus publicum particulare*, tanquàm *juri publico universali* gradatim pedissequum, vnà cum eodem, vnò insimul Ordine, eodemque Sistemate *Auditoribus* prælegatur. Atque hanc dicimus *recentiorem illam jurisprudentiæ publicæ tradendæ Methodum academicam*, cujus ORIGINALÈ non hìc modò primis quasi lineis & speculativè tantùm adumbravimus, sed quod in ipso etiàm nostro *Institutionum publicarum* COMPENDIO, octo *Exercitationibus* absoluto, haud sine sperato *Auditorum* fructu, communi plurimorum *Germaniæ* Eruditorum omni exceptione majorum Adsensu, realiter exhibuimus, felici successu executi sumus.

#### §phus VII.

### Coronis Diatribæ.

Vocce demùm novo Conatum nostrorum Partu nos nil minùs quàm Adplausum à captare contestamur: quod si hæc ex parte *germanico Eruditionis Orbi* hodiè quaquaversùm illustriori atque inclutissimo, optimoque PRINCIPÌ àc PATRIÆ, sin' minùs *Gloriæ*, plùs saltim *Obsequii* attulerimus, id operæ pretium erit. Vobis præsertim *Domini Auditores! Patriotæ suavissimi!* recens Hoc *jurisprudentiæ publicæ* docendæ discendæve SISTEMA sacrum esto; Hoc Duce atque *Historiâ patriâ* Comite, profligatis, quæ in Devia vos possent avertere, erroribus àc præjudiciis, in ipsa legitimæ hujus Regiæque SCIENTIÆ Adyta faciliùs penetrare poteritis.



# P A R E R G A

EX

## HISTORIA ET JURE PATRIO:

- I. Antiquissima est *Archi-Episcopi Coloniensis* Dignitas, & specialis Prærogativa, *A* electo *Romanorum Regi* primùm imponendi *Diadema Regium*,
- II. Eadem verò *Inaugurationis Cæsareæ* partes, hodiè cum *Moguntino* per amicabilem *Compositionem* communicatæ, *Eminentissimo Coloniensi* non ex *Jure* tantùm *Diaecesano*, sed ipsâ etiàm *Lege publicâ & fundamentali*, *Jure* consequenter fortiori, *Tituloque* illustriori competunt.
- III. *Archi-Episcopus Coloniensis*, tanquàm *Archi-Princeps Elector Metropolitæ*, majorem præ se ferens *Dignitatis Eminentiam in Imperio*, quàm *Cardinalis in Ecclesia*, titulum: *S. R. E. Cardinalis S. Joannis ante Portam latinam*, *Jure* sibi competentem, hætenùs neglexit citrà vel minimum *Eminentiaæ suæ* præjudiciùm.
- IV. *Archi-Præsules Colonienses* jam à *Sæculo XII.* specialiores antiquissimorum *Germaniæ Ducum* prærogativas, ac *Jura* tam realia, quàm personalia, *Augustissimorum Imperatorum* Beneficiis meritò sunt consecuti, nullis deinceps *Principibus novis*, post annum scilicet 1582. sive creatis, sive creandis, ipsâ *Auctoritate Cæsareâ* unquam ampliùs conferenda.
- V. Cum Reverendissimo atque Doctiss. *Ab Hillesheim* defendimus, specialem esse *Eminentissimi Electoris nostri Coloniensis* Prærogativam: quod etiàm ex legitimâ *S. R. I. Comitum* profapiâ genitus, splendidissimo uti possit prædicato *Serenissimi. (Durchlaucht)*
- VI. *Hermannus* *Archi-Ep. Colon.* à *Leone IX. P.* primus fuit insignitus *Jure* tunc temporis maximè honorifico: *Nacco*, ceù *Equo festivo Purpurâ* instrato, prælatâ *Cruce* vehendi solenniter per constitutas *Ecclesiæ Stationes*, teste *Bullario M. Tom. IX. p. 1.*
- VII. *Vicaria Summi Pontificis* *Jura* jam olim exercuere *Archi-Episcopi Colon.* pro genio ejusdem *Ævi*, *Jure* scilicet *Legationis Pontificiæ*, quæ primùm obvenisse constat *Arnoldo* *Archi-Ep.* ex *Privilegio Innocentii IV.* in *Lunig spicil. eccl. contin. I. p. 254.* — Vnde *Conradus* *Archi-Ep.* a. 1250. se *Sedis Apostolicæ Legatum*, primus scripsisse legitur in *Tabulis* apud *de Gudenus* in *Cod. dipl. Tom. III. p. 1116.*
- VIII. Hoc ipsum deindè *Jus* ad Posteròs continuatum, perpetuam tandem quasi ex semetipso procreavit *Dignitatem Legati nati sanctæ Sedis Apostolicæ*, quâ hodiè præfulget noster *Eminentissimus*, *glor. imp.*

- IX. Illustrissima adsunt Monumenta, quæ Archi-Officium illud: des *H. R. Reichs Erzkantler durch Italien*, Hæreditarium velût ac perpetuum penes *Sedem Coloniensem* jam inde à *Friderici I.* Ætate, usque ad *Caroli IV.* ævum fuisse evincunt, sub quo videlicet glorioso *Imperatore*, in A. B. ex hæcenus servatâ *Imperii Observantiâ*, solenniter agnitum fuit, ac Jure perpetuo firmatum;
- X. Vnde tantùm abest, ut ob deficientem Functionis exercendæ occasionem, *Imperatoribus* hodiè in *Germaniâ* nunquàm non commorantibus, ipsum *Jus* velût amissum existimari queat: id quod à Juris Rationibus planè est alienum, ut potius amplissima hæc Dignitas, Juraque honorifica *Archi-Cancellariatus* adnexa, *Eminentissimo Coloniensi* salva semper maneant, atque intemerata ferventur.
- XI. *Archi-Episcopo Coloniensi* in vniversa non solum *Italia*, sed præsertim in sua etiàm utût *Germaniæ* Provinciâ, absolutum competit *Jus primæ Sedis* post summum *Pontificem* æquè ac augustissimum *Imperatorem*, ipso *Moguntini* Jure *primæ Sedis per totam Germaniam*, non attento.
- XII. In antiquissimis *Imperatorum Electionibus*, *Archi-Episcopum* Colon sublimi quâdam ac præcipuâ ut plurimùm Auctoritate inter cæteros *Principes Germaniæ Proceres* polluisse, ipsis *Electionum Augustalium* historiis evincimus:
- XIII. Id quod mirum videri nequit in *Metropolita* ejus Provinciæ, in quo Regium erat *Archi-Solium*: in *Regis electi Inauguratore*: in *Archi-Cancellario* Imperii: in ipso demùm *Archi-Principe*, vivis toties *Imperatoribus* in partes moderandi *Regni* vocato, teste *Lamberto Schaffnab.* ad a. 1063. p. 719. & *Adamo Bremensi*, in hist. eccl. L. III. C. 36. p. 45. nec non *Cæsario Heisterb.* in vita S. Engelb. a *Gelenio* illustratâ. C. 5. p. 81.
- XIV. *Ecclesia Coloniensis* modò *Constantini M.* Ætate, Seculo IV. ineunte, floruit sub *Materno* Ep. quem *Concilio Arelatensi* a. 314. interfuisse constat ex *Nicol. Sammartbani* Gallia Xii Tom. III. p. 621.
- XV. *Episcopatum Coloniensem* Ætate *Caroli M.* & *Leonis III. P.* circâ finem Seculi VIII. sub *Hildebardo* in *Archi-Episcopatum* non tam primùm fuisse evectum, quàm potius Jure perpetuo restauratum, sustinemus cum doctissimo *Pagi* in Crit. ad *Baron.* ad 794. p. 398.
- XVI. *Metropolim Coloniensem*, *Primatus Trevirensi*, nullo tempore subjectam, modò jam Seculo X. *Primatus honore* extitisse decoratam, demonstramus ex *Diplomate Pontificio Ecclesiæ Magdeb.* de a. 968. in *Lunig.* spicil. eccl. P. I. Fort. Anh. p. 16.
- XVII. Vti *Metropolitanæ Electoralis Ecclesiæ Col. Prælati & Archi-Capitulares* collectivè considerati, velût vnitæ *Gentis Columnæ*, vnum constituunt atque primarium *Reipublicæ Statuum* Corpus, itâ tanquàm majora *Archi-Diæce-*  
*seos*

*seos Luminaria*, ceu perpetui Eiusdem *Advocati & Protectores*, illustriorem præ se ferunt *Cleri primarii* speciem, illustriora inde etiã *Cleri jura* meritò vindicantes.

XVIII. Horum tanquã *Patriæ Procerum* atque *Electorum* splendida, quẽs insigniti refulgent, *Insignia*, rectè supponunt absolutam *propriæ Dignitatis* prerogativam.

XIX. Eiusdem Archi-Basilicæ *Presbyteri Cardinales*, integris jã VII. seculis, sublimi, ut hactenùs neglecto, jure gaudent divinum celebrandi Officium cum *Mytrâ & Sandaliis*.

XX. Unde erronea adparet aliquorum opinio, hodiernam *Presbyterorum Metropolitanorum* Prærogativam & Dignitatem quasi adolescentulam, vno vix seculo esse natam.

XXI. Eisdem porrò tanquã vera atque legitima *Archi-Capituli Membra*, tam *Sede* occupatã quã vacante, in juribus quibuscunque Capitularibus exercendis, non *Voti* tantum *activi*, sed etiã *passivi* per se habiles, ac vel ad utrumque haud minùs esse qualificados, nulli dubitamus.

XXII. Illustrissima *Germaniæ Archi- & Capitula* majora, Sedibus vacantibus, veros in *Corpore* summosque repræsètant *Imperantes*, omnibus & singulis proportionatæ *Majestatis* Juribus ipso facto absolutè gaudentes:

XXIII. His tanquã primariis *Provinciarum* suarum *Ordinibus*, *Principumque Imperii Electoribus*, per Constitutiones *Innocentii XII.* à *Leopoldo Imp.* non nisi sub certis *Conditionibus* rati habitas, nullatenùs ademtum fuit, nec vel adimi potuit Jus, honestas futuris *Ducibus* suis, circã *Regimen civile*, proponendi *Capitulationes*.

XXIV. Pro Coronide: nùm *Archi-Capitulum Moguntinum* Archiepiscopo non existente, *Directorium Comitiale* exercendi Jus habeat citra præjudicium *Eminentissimi Colonienfis*, idem cum *Trevirensi & Saxone* prætendentis? Exercitii gratiã *Problema* esto.

DE

Specialioribus Archi-Principum S. R. I. Electorum  
Juribus ac Prærogativis.

- I. Primum inter *Germaniæ Proceres* Locum jã olim occuparunt *Archi-Principes*, qui ob summos, quẽs præerant *Ducatus*, præcipuasque *Provincias* ipsis conceditas, *Cæsarea & Imperii* gerebant *Archi-Officia*, potiori sensu hodieque perpetuo jure *Electores* dicti.
- II. Hi itaque augusti *Imperiales Novemviri* in ipsis S. Imperii R. G. *Legibus publicis*, rectè prædicantur tanquã nobilissima *Pars Corporis Cæsarei*:  
*Bases*

*Bases & Columnas immobiles Imperii: Candelabra in Unitate Spiritus ad illuminandum s. Imperium lucentia: supremi Patres atque Imperii Senatores, Cæsareæ Sublimitati in partem sollicitudinis constituti.*

- III. In signum augustæ *Electorum* Dignitatis ac Prærogativæ, in *Litteris præfertim Cæsareis, Ecclesiastici* communiter unferre liebe *Nesen*, *Seculares* verò, unferre liebe *Oheimbs*, aut simili Cognationis quasi ac vel Affinitatis nomine, meritò salutantur.
- IV. In sacratas *Archi-Principum Electorum* personas, ipsis *Liberarum Gentium Regibus* æquiparatas, verosque tanquàm *Imperantes*, Belli, Pacis, Fœderum, atque Legationum juribus gaudentes, æquè ac contra augustissimum *Imperatorem*, admittitur Crimen *læsæ Majestatis*.
- V. *Electorum Ambasiadores*, Charactere repræsentatio instructi, tanquàm *Legati primi Ordinis*, vnà cum *Excellentiæ* prædicato, Regiis vtuntur honoribus.
- VI. Vnde in *Aula Cæsarea*, ac vel solennibus aliis *Imperii Conventibus*, tanquàm *Ambasiadoribus Regiis* æquales, jure præcedunt singulos *Liberarum Rerumpublicarum* quæ talium *Legatos*.
- VII. Immò nec ipsis cedunt sine discrimine *Principibus* in persona præsentibus, frustra hucusque contra protestantibus.
- VIII. *Electoribus ecclesiasticis* æquè ac *secularibus*, tanquàm nobilissimis *Germaniæ Archi-Principibus*, ante omnes & singulos sine exceptione *Gentium exterarum Ambasiadores*, in propriis *Aulis* suis absolutè competit *Jus primæ Sedis*.
- IX. Eminentissimi *Electores Metropolitæ*, salvâ veneratione debitâ, piæ quasi fœcordiæ videntur accusandi, quod titulum *Serenitatis* (*Durchlaucht*) Eisdem æquali Jure, in ipsâ *Legum Imperii* analogiâ fundato, cum *secularibus* competentem, nec statim ab initio vindicaverint, ac vel hætenùs neglexerint.
- X *Imperatorem, Regemve Romanorum* eligendi Jus, ad solos & singulos pertinet *Archi-Principes Novemviros*, utut nec investitos, nec confirmatos, aut non vocatos, cæteris omnibus *Imperii Ordinibus* jure perpetuo exclusis.
- XI. Vnde & *Jus capitulandi* reatè vindicatum ab *Electoribus*, frustra in Controversiam vocatur à *Principibus Imperii*.
- XII. Ipsæ verò *Principum* Protestationes, in *Electione Imperatoris Matthiæ* jam primùm desuper exhibitæ, velut inefficaces, meritò accensentur seroventibus.
- XIII. Nec obstante *art. VIII. §. 3. J. P. O. Electores* vel minimè obligantur ad prætensam *Capitulationem perpetuam*.
- XIV. Augustissimus *Imperator* impedire nequit *Electores*, quominùs *Eodem* vivo atque invito, *Regem Romanorum* eligere valeant, ceù futurum *Troni Successorem*,

- XV. Falsum est, quod in *Speculo Saxonico* C. 27. §. 3. & què ac in *Suevico* L. 1. C. 29. §. 3. legitur: olim scilicet vtrique & *Moguntino* & *Palatino* conjunctim competiisse ipsum ad *Electiorem Cesaream* convocandi Jus.
- XVI. In A. B. c. 9. §. 3. *Telonia Electoribus* non tam primùm, ac vel de novo concessa, quàm potius longissimo tempore jam possessa, Jure perpetuo iuere confirmata.
- XVII. Id quod idem de *Capite* X. A. B. quò ad *Jus Auri Argentique monetas cudendi*, firmiter adierimus cum *Ludewigio* ad A. B. p. 886.
- XVIII. *Electores* citra auctoritatem *Cesaris*, Ejusve Consensum, omninò liberè, si visum fuerit, solennes instituunt *Conventus* (*Kurfürsten-Täge*) quibus admittendæ *Legationis Cesareæ* nulla incumbit Obligatio.
- XIX. Prærogativis, quèis *Electores* præ aliis gaudent *Imperii Principibus*, non minimam quoque hanc adscribimus: quod pro *Investituris Feudorum suorum Electoralium*, confirmandisque *Privilegiis* ab omni *Exsolutione Laudemii*, *Xeniorum*, & *Taxæ* per omnia sint immunes.
- XX. Singuli etiàm præcipuà pollent Auctoritate, duos in *supremo Camerali* *Judicio* præsentandi *Adjessores*, ceù perpetuos atque *togatos Imperii Senatores*.
- XXI. Inter fulgentissima *Archi-Principum Novemvirorum* Jura recensemus denuò *Jus extremi Resortus*, ceù *Privilegium de non appellando*, Eisdem absolutè adeò atque illimitatè competens, ut nec ipso *non Vsu*, nec longissimà quavis *Consuetudine contrarià*, vnquam possit aut potuerit intercidere.
- XXII. Vti *Imperator* in gravioribus *Imperii negotiis*, licet moram non patientidus, *Electorum* subinde *Consiliis*, ità demùm quoque absoluto *Eorum* indiget *Consensu*.
- XXIII. Vnanimis omnium & singulorum *Electorum* collegialiter *Congregatorum* *Consensus* totiès desideratur, quotiès *Jus Stapulæ* ac nova *Vectigalia* in *Imperio* concedenda, seu vetera augenda fuerint aut proroganda.
- XXIV. *Comitialis Statuum* *Consensus* ad erigendum novum *Imperii Electoratam* requisitus, ità intelligendus est, ut majora vtriusque & *Principum* & *Civitatum* *Collegii* suffragia, accedente etiàm *Ratificatione Cesareâ*, non sufficiant, sed *Vota* quoque majora *Collegii Electoralis* absolutè sunt necessaria.
- XXV. *Electo* *Electoratam secularè* jam possidens, adhuc tanquàm proximus *Agnatus* in alio succedere, consequenter vno eodemque tempore duos *Electo-ratus* simul possidere potest:
- XXVI. Num verò in *Electiõne Regis Romanorum*, aliisve *Imperii* *Negotiis publicis*, *duplici* quoque *Suffragio* gaudeat? *Exercitii* causà pro & contra defendimus.





N O M I N A  
DD. JURIS PUBLICI AUDITORUM

Q U I  
PRIMO SUCCESSIVE TRIENNIO

I N

*hac alma Electorali Maximilianæâ Academiâ Bonnenſi*

S U B

EMINENTISSIMIS AUSPICIIS

jàm XXX. ab hinc Mensibus neo- instauratâ, sedulò & cum  
Laude frequentârunt:

Anno MDCCLXXIV, & V.

- D. Conrad. Jof. Bachem, Bonnenſis.
- D. Petr. Jof. Brandt, Bonnenſis.
- D. L. B. de Cler. Bonnenſis.
- D. Ferd. Düſſeldorff, Andernacenſis.
- D. Wilh. Eſchweiler, Brueleuſis.
- D. Franc. Kœltgen, Bonnenſis.
- D. Jof. de Kopp, Düſſellanus.
- D. Remig. Mäurer, ex Königswinter.
- D. Aloyſ. Meunier, Bonnenſis.
- D. Ludov. Parren, Canonicus Bonn.
- D. Franc. Saur, Andernacenſis.
- D. Caſp. Ant. Wrede, Bonnenſis.

Anno MDCCLXXVI.

His acceſſerunt:

- D. Ant. Böſe, ex Eisborn.
- D. Petr. Jof. Brewer, Bonnenſis.
- D. Petr. Dünwald, Bonnenſis.
- D. Frid. Eicke, Recklinghuſanus.
- D. Adolph. Genius, Recklinghuſanus.
- D. Ant. Harniſchmacher, ex Drolshagen.
- D. Carl. Joanyahrs ab Hunold, ex Attendorn.
- D. Petr. Schmitz, Bonnenſis.
- D. Franc. Vogts, Kempeniſis.


Anno

Anno MDCCLXXVII.

Actu frequentant:

- D. Jos. Nobilis à Berfward, ex Scheiding.
- D. Ant. Böse, ex Eisborn.
- D. Petr. Jos. Brewer, Bonnenfis.
- D. Petr. Busch, ex Wissen.
- D. Jos. Dirix, Bonnenfis.
- D. Maximil. Dirix, Bonnenfis.
- D. Petr. Dünnwald, Bonnenfis.
- D. Frid. Eicke, Recklinghusanus.
- D. Andr. Fuchs, Bonnenfis.
- D. Adolph. Genius, Recklinghusanus.
- D. Ant. Harnitschmacher, ex Drolshagen.
- D. Joan. Hüppen, Bonnenfis.
- D. Franc. Hüppen, ex Adenaw.
- D. Winand. Johrs, Tulpiacensis.
- D. Bern. Jungblodt, Doerstenfis.
- D. Frid. Kircher, Colonienfis.
- D. Franc. Koeltgen, Bonnenfis.
- D. Ant. Mertens, ex Wülstenrath.
- D. Aloyf. Meunier, Bonnenfis.
- D. Jac. Neuburg, Andernacensis.
- D. Petr. Robfon, Bonnenfis.
- D. Franc. Saur, Andernacensis.
- D. Petr. Schmitz, Bonnenfis.
- D. Frid. de Tiere, ex Haserlœhn.
- D. Franc. Vogts, Kempensis.
- D. Casp. Ant. Wrede, Bonnenfis.

Hi omnes præter alios etiã frequentant Collegia publica  
Historiarum Imperii.



Anno MDCCLXXVII.  
Actu frequ

Hi omi

DD.  
P. 147  
BM  
Jan 1872  
Anno MDCCLXXVII.  
c4  
Anno MDCCLXXVII.  
1872

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

**TIFFEN** Color Control Patches © The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Grey	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Grey	Black